

cunt Episcopum auxiliarem *juxta decretum a nobis adprobatum*, praestat decreti ipsius consistorialis hic verba exscribere, quae eum in Archiepiscopi auxiliarem deputant „ita ut pro lubitu suo (Archiep.) possit et valeat in iis, quae sunt ordinis et muneris episcopalis opportunam illius operam adhibere.“ Quae deinceps clarius etiam enumerantur in alteris apostolicis litteris datis III. Non. Augusti 1857 quibus is ille ab Ecclesia praedicta Danaben. ad Famaugustanam item in partibus translatus est, et in quibus de eorumdem exercitio commendatur scilicet: „Sacramentum confirmationis, de ejusdem Archiepiscopi licentia administrasti, ordinationes exquisisti, (sic), pontificalia solemniter celebrasti, conciones ad populum habuisti caeteraque pastoralia munia laudabiliter obivisti.“

Ex his itaque plures consequuntur rationes, quae ostendunt nullam Episcopis auxiliariis, ex eo quod sint Canonici, inesse qualitatem seu auctoritatem aut privilegium, quo in Capituli muniis obeundis et actibus jurisdictionalibus exercendis seu sacris functionibus peragendis reliquis Canonici et ipsis etiam dignitatibus praeferi de jure debeant. Et sane Episcopus auxiliaris conceditur propter dioecesim, non propter Capitulum Cathedralis, de qua nullum verbum neque in jure positivo neque in litteris apostolicis. Ergo debet quidem praesto Episcopo esse quoad munera pastoralia in civitate et dioecesi, concurrente ejusdem Episcopi licentia et consensu, at nihil prorsus commune habet cum Capitulo. Et cum Capituli jura sint positiva, quae respiciunt tum Capitulum ipsum tum aliquando ipsas individuales Capituli personas, non possunt neque Capitulum neque individui a suis juribus et privilegiis exturbari, nisi aliquid in contrarium expresse et positive a legitima auctoritate statuatur.

At nihil de hoc habemus in nostro Episcopo auxiliari Archiepiscopi Mediolanen.

Praeterea Episcopi auxiliaris munia loco et vice ordinarii *taxative* restringuntur ad *ordinationes* habendas, ad *confirmationis* sacramentum administrandum *aliaque episcopalis ordinis munera peragenda* in aliqua dioecesi.

Ergo assumitur ad servitium et munia *dioecesana* non autem *capitularia* aut *choralia*, quibus impedito Archiepiscopo jam alias provisum est ac proinde ipse, qua Episcopus auxiliaris, ex hoc etiam capite nihil habet commune cum Episcopo quoad functiones capitulares ac per consequens neque quoad celebrationem missarum solemnioribus quibusdam diebus, quia constitutionibus designantur et in quibus is eam tantum partem habet, quam ei tribuit qualitas Canonici.

Insuper non conceditur Episcopus auxiliaris absque justa causa et requiritur in primis ad suffraganeum postulandum ex doctrina Benedicti XIV. ut „vera nec affectata urgeat necessitas sive propter habituales morbum quo Episcopus afficietur, sive ob illius provectionem aetatem, sive ob nimiam dioecesis amplitudinem, ita ut ipse non valeat omnia ordinis munia per se sedulo obire ac proinde alieno ministerio“ indigere videatur, prout inter alia recte adnotarunt *Thomassinus* de vet. et nov. eccl. discip. et *Fagnanus* cap. episcopalia num. 45. et 53. de privil. Nemo erit profecto qui putet inter hac omnia ordinis munia, quae ordinarius non *valeat per se sedulo* obire, accensendam esse celebrationem missarum solemnioribus diebus quibusdam designatis, tum quia tunc non existeret *vera et non affectata necessitas*, quia hujusmodi necessitati provident constitutiones, quae vices Archiepiscopi supplendas tribuunt primae

et aliis successive dignitatibus, tum quia Archiepiscopus *alieno ministerio* non indigeret; nam ministerium habet, ut ita dicam, domesticum et intrinsicum Capituli, cum quo ipse conjunctim Cathedralis Ecclesiam et unum corpus constituit.

Crescit autem hujus argumenti vis, si duas alias relationes Archiepiscopi consideremus, alteram cum Vicario generali, alteram cum Capitulo. Et quemadmodum Episcopus auxiliaris destinatus ad ea tantum munera exercenda, quae sunt *potestatis ordinis*, sese immiscere non potest in iis, quae, cum sint *potestatis jurisdictionis*, exercentur ab Episcopo per Vicarium generalem: ita, quatenus auxiliaris sese immiscere non potest in iis peragendis functionibus capitularibus et choralibus, quas Episcopus exercet per Capitulum seu per Canonicos et Dignitates ordine constitutas. Et ideo auxiliaris conceditur „ut ea dumtaxat, quae sunt ordinis episcopalis, praestet in dioecesi“ accedente tamen licentia Archiepiscopi, ubi Archiepiscopus libere et independentem a juribus Capituli licentiam et consensum praestare potest.

Notandum insuper est, Episcopum cum corpore morali Capituli considerandum esse tamquam caput ad membra. Quis enim ignorat Canonicos Ecclesiae Cathedralis arcissimo quodam vinculo veluti membra cum capite Episcopo devinciri adeo ut episcopo ipsi nequaquam liceat in iis quae ad capitulum referuntur alio uti ministerio quam canonicorum? „Novit tuae discretionis prudentia (inquit Alexander III. in cap.: *novit de his, quae sunt a praelat.*) qualiter tu et fratres tui unum corpus sitis et illi esse membra probantur, unde non deoet te omissis membris aliorum „consilio in Ecclesiae tuae negotiis uti.“ Quae quidem regula, relationis scilicet

capitis cum membris minime adimpleretur si Episcopus auxiliaris Famaugustanus loco Archiepiscopi Mediolaneus missas chorales celebraret, ex eo quod cum titulo et qualitate Canonici titulum et qualitatem Episcopi auxiliaris conjungat. Quemadmodum enim, testante Cardinali de Luca, naturae repugnat, ut membra aliter agant in humano corpore. quam ab ipsa natura praescriptum est, ita in morali Capituli corpore repugnaret, ut ejus membra diversa agant ratione, quam quae statuitur a decretis Sacrae Congregationis et a constitutionibus, ex quibus in proposito casu Capituli dignitates, a prima incipiendo, ad Archiepiscopi personam rite repraesentandam progressivo ordine vocantur. Si secus fiat Archiepiscopus, *omissis membris, aliorum consilio* seu opera uteretur, quod non licere affirmat Alexander III.

At vero, inquit redactores voti, hodiernus Episcopus auxiliaris et *de gremio Capituli est et caeteros sua dignitate longe multumque antecellit*. Ex quo inferri volunt, ipsum Archiepiscopo impedito in his functionibus peragendis *procul dubio* succedere oportere, inspectis conjunctim tribus qualitibus Episcopi titularis et Episcopi auxiliaris nihil conferre, ut jus ei tribuatur succedendi ad peragendas functiones istas, Archiepiscopo impedito. Consideramus modo, si placet, duas has qualitates seu hanc ejus dignitatem, qua *caeteros longe multumque antecellit*, simul conjunctam cum qualitate Canonici. Has quidem conjunctim considerare possumus in una eademque persona seu considerare quidem possumus unam eademque personam his simul qualitibus insignitam. At qualitates ipsas, quatenus determinare debent aliquam jurisdictionem aut praesentiam, non possumus considerare nisi relative ad

actum, ad quem ordinantur, et quando duas qualitates ordinantur ad actus diversos, non possumus eas conjunctim considerare, sed alterutram respective ad actum suum, ad quem ordinata est. Accidit quam saepe, ut persona aliqua pluribus qualitatibus praedita sit, sed non semper pro iisdem qualitatibus eadem praeceminentia illi debeatur, ita ut illa eadem persona, quae in aliquo actu gaudet praecedentia supra caeteros, debeat in alio actu cedere locum illi personae, quae in primo actu sedebat loco inferiori. Quidam hoc est? Non aliud nisi quia qualitas seu dignitas determinat praecedentiam in illo actu, ad quem est ordinata. Rationem hanc subtiliter proposuit Tiraquellius, a quo mutuatus est Vagnaveckius in cap.: *Statuimus de major. et obed.*, quam loquens de praecedentia Canoniorum sic paucis expressit: „Ex hoc textu colligit Tiraquellius dignitatem antiquitati praeferendam et majorem dignitatem praecedere debere, quando dignitas est ordinata ad illum actum, pro qua tractatur de praecedentia, secus est de actu diverso.“

Hoc posito, facile est cognoscere dignitatem seu qualitatem Episcopi auxiliari neque ordinatam ad actus jurisdictionales Capituli, sed ad auxilium praestandum Episcopo in iis actibus, qui sunt ordinis episcopalis in dioecesi; imo extranea prorsus est Capitulo ac proinde non potest determinare praecedentiam in actibus capitularibus; qualitas vero Canonici est ordinata ad actus capitulares et sicut ista nihil habet commune cum Episcopo auxiliari neque ordinata est ad actus proprios Episcopi auxiliari, ita qualitas auxiliari nihil habet commune cum qualitate canonici, neque determinare potest praecedentiam ad actus, ad quos non est ordinata. Itaque qualitates istae conjunctim considerari non possunt,

quia quaelibet ordinata est ad actus diversos. Ac proinde (excepta praecedentia honoris et obsequii quam dignitatem episcopalem sibi postulare vidimus) quaelibet ex his qualitatibus, quae in casu nostro in una eademque persona conjunctim occurrit, nullam alteri vim addit ad augendum jus praecedentiae, sed quaelibet respective respicit ad actum suum. Et quoniam respective ad Capitulum nihil refert neque dignitas episcopalis nec qualitas auxiliari neque omnium simul qualitatum conjunctio, remanet ut sola qualitas Canonici, quae sola ordinata est ad actus capitulares, possit in Capitulo determinare jus praecedentiae ad sacras functiones peragendas.

Hoc autem magis patebit, si consideremus qualitates Canonici et Episcopi auxiliari non modo inter se nihil habere commune, sed potius ita inter se discrepare, ut una cum altera non nisi ex apostolica dispensatione in eadem persona subsistere queat, quae dispensatio, licet faciliter impetretur, adjunctas tamen semper habere solet leges et condiciones, ne ex simultanea utriusque existentia in una eademque persona divino cultui praejudicium inferatur. Audiatur iterum Benedict. XIV. lib. XIII. cap. XIV. n. IX.: „Ut autem suffraganei Episcopi (auxiliares) honestum sibi victum et cultum parare queant, cum plerumque annua tercentorum ducatorum praestatio (stipendium, quod erat ad munus ducatorum aureorum de camera statutum a Pio V. super fructibus illius Ecclesiae, extensum fuit ad numerum tercentorum ex decreto consistoriali) nequam sufficiat, si canonicatum aliquem non obtinent aut alia beneficia, quamvis natura sua cum munere suffraganei incompatibilia, faciem se in eos praebere consuevit apostolica sedes illorum retentionem eis concedendo, adjectis tamen opportunis legibus et conditio-

nibus, ut divinus cultus exinde minimum, quoad fieri potest, detrimentum patiatur.“

Hoc autem adeo verum est ut apostolicae literae pro deputazione auxiliari totae versentur in assignandis muneribus, quae illi propria sunt, omnino independentem a qualitate Canonici, de qua nulla fit mentio, nisi, si occurrat, pro permittenda simultanea canonicatus, beneficiorum retentione etc. Quod quidem ita servatum esse cum Episcopo Famaugustano patet ex apostolicis literis tum IV. Cal. Octobris 1855 tum III. Non. Augusti 1857. Imo in his illud est specialiter notandum, quod, dum mentio fit de canonicatu cum dignitate primiceriatus, illud insuper praecise notatur: „Ut primiceriatus praedictus et beneficia obtenta hujusmodi debitis propterea non fraudentur onera obsequiis, sed ejus et eorum congrue supportentur onera consueta.“ Quae quidem postrema verba videntur prorsus ad rem apposita, ut significetur in muneribus capitularibus supportaneis nihil innovandum esse, ad curandum, ut munera primiceriatus et beneficiorum (quantum fieri potest cum munere Episcopi auxiliari) *debitis non fraudentur obsequiis*, ne divino cultui detrimentum inferatur et congrue supportentur onera consueta, id est quae et quomodo ab ecclesiasticis regulis et a constitutionibus praescripta sunt.

Ut autem magis magisque pateat quantum discriminis relati ad servitium Ecclesiae metropolitanae vel cathedralis intercedat inter Canonicum et Episcopum auxiliarem, animadvertere juvat Canonicum adeo stricte pertinere ad Ecclesiam, ut moriente etiam Episcopo talis esse non cesset et Capitulum sede vacante succedit in jurisdictione episcopali, cap.: *His quae* et cap.: *Cum olim*, dum e contra suffraganeus, ut vidimus ex Benedicto XIV. et Fagnano locis supra citatis cessat,

cessante Episcopo, quia datur *Episcopo et non Ecclesiae*.

Neque omittenda est ratio, ut evincatur in Canonico vel Dignitate relata ad functiones capitulares qualitatem Episcopi titularis imo et auxiliari accidentalem omnino esse atque extraneam. Cum enim, qui episcopali ordine insignitus est, solemnem missam cantare non deceat nisi in pontificalibus, quibus utendis in aliena dioecesi Ordinarii licentia necessario requiritur, hujusmodi licentia omnino opus habet, sit vel non sit Canonicus, quia qualitas Canonici nihil habet commune cum qualitate Episcopi. Quae quidem licentia pro usu pontificalium necessaria non esset, si qualitas Episcopi conjungeretur, ad effectum cantandi missas, cum qualitate Canonici, cui nulla licentia opus est pro utendis vestibus sibi indultis.

Quae hactenus adduximus argumenta evidenter ostendunt, Episcopo auxiliari, in vim hujus qualitatis nullum jus creari, quod praelationem ipsi addat in exequendis sacris functionibus in Capitulo, etiamsi per accidens sit Canonicus.

Ut autem his robor accrescat concludam afferendo decretum Sacrae hujus Congregationis in una Lubecen., in qua cum Episcopus exposuisset, hactenus eo absente vel impedito functiones, quae ipse utitur tanquam Vicario in spiritualibus delegare consuevisse, quandoque tamen reclamantibus dignitatibus ejusdem Ecclesiae praetendentibus ad eas hujusmodi functiones eo casu spectare, petieritque a S. R. C. declarari, potuisse ac posse Ordinarium, cui libuerit, digniori tamen ipsi, functiones episcopales commendare, Sacra Congregatio: „Id quidem intelligendum, respondit, de munitis pontificalibus, quae a dignitatibus et Capitularibus ipsis impleri possunt, quae alteri licet digniori in

praejudicium dignitatum aliorumque capitularium Episcopo demandare non licet. Die 10. Junii 1636.“

Restat demum, ut res plenissime absolvatur, quasdam alias rationes pensitare, quae ab adversa parte adductae sunt, cum praecipuas, praesertim ex variis decretis desumptas, jam oblata occasione in decursu disquisitionis exponderimus. Una est, quam innuit sed non exponit Caeremoniarum Magister in suis deductionibus, cum ait: „Videatur etiam *Fagnanus* in V. decretalium, de privilegiis et excessibus cap. episcopalia pag. 238., num. 61.“ quod attentionem nostram meretur, tum quia aliquod roboris, ob excellentiam auctoris, prae se ferre videtur, tum ne videamur contraria argumenta saltem in parte neglexisse. Adivimus ergo Fagnanum, qui quidem totus est ut defendat obsequium et praecedentiam Episcoporum auxiliarium, sed non ad rem oppositoris nostri.

Fagnanus itaque loquitur ibi de creatione Episcopi titularis pro exercendis pontificalibus in locis ordinis s. Jacobi de Spatha, proposita in consistorio a Cardinali Pacecho, et refert difficultates, ob quas S. Congregatio consistorialis coram SSmo, die 22. Martii, re iterum diligenter examinata, persistit in decreto sub die 28. Januarii 1694, videlicet, *quod petitur nequaquam esse concedendum*. Inter alias difficultates hanc recenset Fagnanus, quia cum suffraganeus detur Episcopo non Ecclesiae, et cum militia s. Jacobi non habeat Episcopum, sed priorem, suffraganeus daretur priori: „Hoc autem, inquit, videtur valde inconveniens, tum quia cederet in opprobrium dignitatis episcopalis, ut Episcopus, qui est in supremo gradu ordinis hierarchici in Ecclesia militanti, Conc.: *Trid. sess. 12. de Sacram. Pastoralis* ord. can. 6. et 7., suffragetur et inserviat priori longe inferi-

oris gradus et esset tamquam illius cappallanus etc., tum quia verisimile est, ut in Ecclesia et functionibus publicis et privatis prior, qui universae jurisdictioni praest, intendat praecedere Episcopo, qui non habet nisi exercitium pontificalium, nec est intitutus in d. militia. Hoc autem est valde absonum in Ecclesia, quia quamvis sit Episcopus titularis carens clero et populo christiano, est tamen vere Episcopus characterem habens episcopalem, cap.: *Pastoralis* et ibi Archid. sub n. 4. et Praeposit. in 1 notab. quaest. 1. Unde indignum esset et perniciosi exempli, ut subesset inferiori praelato.“

Redactor voti existimat suffragari auctoritatem Fagnani, quia, ut videtur, perpendit tantum verba: „valde inconveniens est, cederet in opprobrium dignitatis episcopalis, si Episcopus suffragetur inferiori. Et valde absonum in Ecclesia, quia duamvis sit Episcopus characterem habens episcopalem, indignum esset et perniciosi exempli ut subesset inferiori praelato“ aut similia. Haec, inquam, Fagnani verba gustavit, sed Fagnani sensum assecutus non est: nec certe in sui favorem illius auctoritatem provocasset, qui opinioni suae contrarius est. Perperam siquidem et fallaciter argumentum illius ad praesentem quaestionem detorqueretur, cum Fagnanus improbet tantum Episcopum titulari dari in suffraganeum praelato inferiori, cui ratione prioratus seu universae jurisdictionis subesse deberet. Hoc certe *valde inconveniens esset et absonum in Ecclesia*, nec satis cautum esset episcopali dignitati, qua ipse insignitus est ac propterea S. C. sapientissime resolvit semel et iterum, *quod petitur nequaquam esse concedendum*. Sed hoc exemptum quid habet cum hodierna causa commune? Teneret quidem illatio, si Episcopus Famaugustanus

datus esset in auxiliarem Archipresbytero, qui licet sit prima dignitas esset tamen valde inferior, ratione characteris et ipsius auxiliaris dignitati cautum non satis esset; sed Episcopus Famaugustanus datus est in auxiliarem Archiepiscopo Mediolanensi et in choro et extra chorum ipsius dignitati, qua insignitur, satis provisum est per praecedentiam honoris et obsequii. Corruit ergo totius argumenti apparatus et Fagnani auctoritas contra ipsum facile retorquetur. Nam improbat quidem Fagnanus Episcopum titulari dari suffraganeum praelato inferiori; sed quare improbat? quia subesse deberet inferiori et „quia, inquit, verosimile est, ut in Ecclesia et functionibus publicis et privatis prior, qui universae jurisdictioni praest, intendat praecedere Episcopo, qui non habet nisi exercitium pontificalium nec est intitutus in dicta militia.“ Ergo admittit Fagnanus Episcopo auxiliari hujusmodi licet praedito episcopali dignitate praecedentiam non competere.

Levioris momenti sunt quae sequuntur ex textu constitutionum cap. VIII. relato. Ex quo ipse Caeremoniarum magister primo deducit, praescriptionem istam, qua cavetur, ut dignitates progressivo ordine succedant Episcopo impedito in peragendis functionibus, esse „onus seu pensum impositum dignitatibus quae antea Archiepiscopi vices supplere nolebant.“ Hanc ipse directe et immediate deducit ex textu constitutionum, quo allegato, inquit: „Ex quibus verbis clare patet etc. additque: nulla facta mentione de Episcopo qui in posterum in capitulo sive auxiliaris sive simpliciter titularis posset existere.“

Equidem ingenue fatemur in his deductionum locis plura esse quae non intelligimus.

1: Undenam eruit quod dignitates Archiepiscopi impediti vices antea supplere nolebant? Textus simpliciter haec habet: „Archiepiscopo impedito . . . in iis diebus (solemnibus) ne Canonicus ordinarius, id quod antea moris erat, sed Archipresbyter . . . primicerius, praepositus, post Decanus denique ordinarius canonicus . . . id muneris exequantur.“ Ex his videtur potius antea in more fuisse ut quilibet succederet, sed nunc praescriptum esse ut, ratione solemnioris festivitate, praecedant dignitates, canonici autem ordinarii succedere non debeant, nisi dignitatibus omnibus impeditis.

Quomodo statui potest tamquam fundamentum praescriptionem istam esse et debere appellari *onus impositum iis qui ferre nolebant*? Absonum profecto videtur et ab omni veri specie abhorre, quod, restringere ad solas quatuor dignitates id quod antea commune erat omnibus Canonicis, nempe ut a prima dignitate incipiendo succedant ex ordine Archiepiscopo impedito in celebrandis solemnioribus missis et peragendis praecipuis functionibus, quae ad ipsum archiepiscopum in metropolitana spectarent, dici possit *onus imponere iis qui nolebant*. Esto quidem quod honor secum ferat onus aliquod injunctum, sed ex hoc onere seu munere emanat honorificentia. Hanc tamen ita expriment adducta verba et prorsus videatur voluisse significare onus tamquam sarcinam renuentibus impositam. At contra ex contextu patet esse potius et vere significare praecedentiam seu praelationem, quam s. Carolus deferri voluit Capituli dignitatibus, sed non praeter regulas juris canonici, quae quidem praelatio non onus vocanda est, sed potius *munus* ex ipsis constitutionibus, quae dicunt, *id muneris exequantur*. Munus autem, ut vox ipsa praesertim, prae-

sertim hic ex contextu, non *onus*, sed *honorem* potius declarat. Et sane quod praescriptio isthaec statuta fuerit in decus sacrarum functionum et cultus divinis splendorem et ad praeeminentiam ipsarum dignitatum facile sibi quisque persuadeat, qui novit, quantum egerit s. Archiepiscopus usque a prima sacra visitatione, ut in Metropolitana Ecclesia omnia splendidissimo cultu ad laudem Dei et fidelium aedificationem peragerentur.

Quid vult deducere per verba, *nulla facta mentione de Episcopo qui in posterum in capitulo posset existere?* Quid facturus fuisset si Carolus si praevidisset existentiam canonici Episcopi, divinari non expedit. Hoc unum pro certo habemus, leges et statuta servanda esse prout positive extant et vigent, non prout ferenda fortase erant si legislator aliquid fortuito praevidisset. Optime in hanc rem scribere mihi videtur Archiepiscopus in suis animadversionibus: „Esto ut qui confecerunt capitulares constitutiones S. M. Archiepiscopi primas Episcopo auxiliari partes tribuissent, si nacti essent fore ut Canonici ad fuisset episcopali dignitate praeditus, quid inde? Quod alteri jam datum est, modo nequit avelli, neque legitimam possessionem novo facto turbare.“

Procedit in suis deductionibus et alia dubia proponit, alias conclusiones deducit ex firmata basi oneris impositi iis qui ferre nolebant. Si hoc onus esset jus succedendi Archiepiscopo impedito in functionibus pontificalibus, quo gauderet Capitulum, esset „titulus dignitatis et praecedentiae superior omnibus Capitulis Ecclesiae universalis et esset privilegium praeclarissimum,“ cujus mentionem facere debuisset Caeremoniale Ambrosianum, praesertim ubi agit *de dignitate et*

*praestantia Capituli Mediolanensis.* At de hoc jure omnino silet, imo aperte declarat, quod „dicatorum Canonorum dignitas dilucide conspici potest, quod excepto Archiepiscopo, Episcopis et Vicario generali neminem in universo Clero Mediolanensi agnoscunt, cui primas deferant vel concedant, Episcopi ergo praecedere debent et a fortiori auxiliari.“ Argumenti sic robur ponit tam in silentio tam in adducta declaratione Caeremonialis Ambrosiani. Nihil tamen movere nos potest silentium ejus Caeremonialis, nam praeter quam quod est argumentum mere negativum, nulla apparet ratio, cur de hoc privilegio mentionem facere debuerit: quod autem declarat in loco adducto, nihil prorsus afficit quaestionem nostram. Ibi enim praecise et absolute extollit praestantiam Canonorum metrop. Mediolanen. supra omnem clerum, excepto Archiepiscopo propter characterem et jurisdictionem, ordinariam; Episcopis, quicumque ii sint, etiam a Capitulo extranei, propter characterem et dignitatem, et Vicario generali, qui pariter saepe est a Capitulo extraneus, propter jurisdictionem, quam communem habet cum Archiepiscopo. Haec autem quid habent commune cum nostra quaestione? Esto quod Canonici ejusdem metropolitanae licet omni clero praestantiores debeant quoad auctoritatem vel dignitatem Archiepiscopos, Episcopos et Vicarium generalem tantummodo agnoscere, quibus primas deferant vel concedant, sint vel non de gremio Capituli, at nemo dixerit debere Canonicos et primam ipsam dignitatem jus ipsis cedere super actus jurisdictionales Capituli. Ergo male loquendo de eodem subjecto, sed non sub eodem respectu inepte quis in rem nostram concluderet: ergo ipsi praecedere debent et a fortiori auxiliari; quia declaratio isthaec non po-

test excludere jura capitularium tum a regulis generalibus tum a constitutionibus praescripta.

Infert deinde, putandum non esse, quod s. Carolus Borromaeus... concesso constitutiones capitulares proprium jus et successorum suorum abrenuntiaret Capitulo, ita ut nemo illis posset succedere, nisi de licentia Archiepiscopi vel eorum, qui successive gradum obtinent in Capitulo. Denique somnium esse, quod ex onere imposito et uti tale acceptato oriri possit jus et actus jurisdictionales excludendi a functionibus pontificalibus Episcopum auxiliarem canonicum. Imo effervescente nimium oratione concludit: „ac proinde excludi Archiepiscopum ipsum, qui amplius sine licentia Capituli non posset delegare Episcopum tam auxiliarem proprium quam titularem quemcumque ad ejus vices sacras gerendas in solemnioribus officiis metropolitanae ecclesiae.“ Nempe hic luditur in verbis. Neque enim s. Carolus episcopalis suae jurisdictionalis et ecclesiasticae dignitatis merito tenacissimus quidquam abrenuntiavit Capitulo in praedictum successorum suorum, si illud, quod est in regulis generalibus et jure positivo, quodque natura sua inhaeret Capitulo, per novas has constitutiones servandum praescripsit a Capitulo in metropolitana, quinimo ex hoc ipso facto, inspecta s. Caroli prudentia et observantia suorum, rectius inferri poterit praescriptionem hanc constitutionum a jure dimanare.

Neque etiam a solemniori missae sacro excluditur Archiepiscopus ipse, quia casus supponit semper Archiepiscopum nolentem functiones istas peragere aut quacumque alia causa impeditum; nec enim alia ratione intelligi potest exclusus Archiepiscopus quod non possit delegare Episcopum

qualemcumque; hoc enim jus delegandi ad actus jurisdictionales Capitularum vel ipsas sacras functiones celebrandas nusquam alibi Episcopis ordinariis inhaeret: neque somnium est, quod ex onere imposito oriri possit jus et actus jurisdictionales; onus enim, quatenus munus et officium est, importat actus jurisdictionales et actus jurisdictionales cum aliquo onere vicissim conjungitur. Determinandus est sensus hujus vocis *onus*, ut supra monuimus, non pro lubitu effingendus modo *onus*, modo *honor et privilegium* praeclarissimum. Sed praecedamus omnem controversiam. Aut praescriptio est „onus impositum iis qui ferre nolebunt, aut est titulus dignitatis et praecellentiae superior omnibus Capitulis Ecclesiae universalis et privilegium praeclarissimum.“ Si primum, ii portent, quorum humeris impositum est, si alterum, nempe honor, auferendus ab iis non est, quibus ex constitutionibus debetur tamquam Capituli membris primariis et fixis. Quibus omnibus inspectis, falsa sunt, quae per modum corollarii deducuntur; nempe: „Hoc jus praesumptum esset injuriosum Archiepiscopis et sublimi ordini hierarchico episcopali; et non solum clero universo, verum etiam cuicumque prudenti viro saeculari male sapit, quod hic et nunc Episcopus auxiliaris canonicus primicerius omnino se absteat ab exercendis functionibus pontificalibus in metropolitana et unicum Capitulo sola ratione ne sibi vindicet jura supposita moderni Archiepiscopi.“

Post haec pauca dicenda supersunt adversus rationes a Capitulo suo voto propositas. Siquidem plura, quae aliquam difficultatis speciem praeseferre videbantur, passim oblata occasione expendimus et confutavimus; nonnulla quae communia sunt cum difficultatibus a caeremoniarum magistro prolatis